



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Ioan. Crombecii Societatis Iesv Presbyteri De Studio
Perfectionis Libri Dvo**

Crombecius, Johannes

Mogvntiæ, 1614

IV. Deum esse Perfectionis auctorem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51132](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51132)

non exigit Dominus in die iudicii; multiq; dicent: Nonne in nomine tuo prophetauimus, demonia eiecimus, virtutes multas fecimus? Quibus Deus respondebit: Numquã noui vos. Discedite à me, qui operamini iniquitatem. Matth. 7.

13. Finem ergo loquendi, ait Sapiens, pariter omnes audiamus. Deum time, & mandata eius obserua: hoc est omnis homo. Et Christus: Non est discipulus super magistrum: perfectus autem omnis erit, si sit sicut magister eius. Eccle. 12.
Luc. 6.

C A P. IV

Deum esse PERFECTIONIS auctorem.

HAud erit iam difficile statuere, Deum esse PERFECTIONIS auctorem: cum constat esse auctorem rerum omnium, & in primis naturæ, quæ subiectum esse debeat PERFECTIONIS: ut ne in minimo quidem quisquam gloriari possit, ac dicere, *Manus nostra excelsa, & non Dominus, fecit hæc omnia.* Deus auctor est Perfectionis.
Quid enim habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? Omnis namque domus fabricatur ab aliquo: qui autem omnia creauit, Deus est. Sed & si quid præstantis est in natura, sunt illæ animæ potentia, intellectus & voluntas. Deus autem in utero matris & corporis partes format, & animam pro suo arbitrio creat, & vnit corpori: nec pèdet à generis nobilitate, Deut. 32.
1. Cor. 4.
Heb. 3.
Deus auctor naturæ.

C sed

sed omnia disponit secundum sapientiæ suæ cõ-
filium. *Formavi te, ait, servus meus es tu Israel: ne ob-
liuiscaris mei. Hæc dicit Dominus redemptor tuus, &
formator tuus ex utero: Ego sum Dominus, faciens om-
nia, extendens cælos solus.*

Isaia. 44.

*Natura nõ
sufficiens
principium
perfectiõnis*

2. Quod si vero naturam hominis perfectam
in se ponamus, quid tum? ne sic quidem gloria-
ri potest: quæ nihil in actum post se educere, ni-
si Deus ipse concurreret, ac tamquam agens prin-
cipalis actum perficeret. Sicut enim res, quæ
cum sunt, esse non possunt, nisi ut sint Deus illis
esse tribuat: ita etiam ut conseruentur, mouean-
tur, & agant, necesse est ut illis intime præsens
sit, ac cooperetur, motioni & actioni esse quo-
que tribuat. Vnde si Philosopho dicere li-

*Lib. 7. Phy-
sic. D. Tho-
ma. 1. p. q. 8
a. 1.*

cuit, *motum & mouens simul esse oportere*: longe
magis Deum nobis coniungi necesse est, cum
eius virtute, tamquam causæ primæ ac principa-
lis, opera nostra actum vitamque habeant: qua
cessante, nec vssit ignis in fornace Babylonica:
nec manus Ieroboam flecti potuit, quam in Pro-
phetam minitantem extenderat. Vnde iure cum
Isaia fateri cogimur: *Omnia opera nostra operatus es
nobis, Domine.*

*Dan. 3.
3. Reg. 18.
Isaia. 26.*

*Natura
Perfectiõni
repugnat.*

3. Quid si dicam, naturam magna ex parte
PERFECTIONI repugnare: eam quærere sese
non Deum PERFECTIõNIS auctorem: eius
propensiones à virtute longissime diffidere? Id
vero certissimum est. Natura quidem bona est
sapienterque à Deo condita: sed corrupta, non
paruas molestias virtutis studio creat. Hinc à
Deo monemur: *Sub te erit appetitus eius, &*

tu dominaberis illius. Et Sapiens: Post concupiscentias *Gen. 4.*
 tuas non eas. & à voluntate tua auertere. Si præstes ani- *Eccle. 18.*
 ma tua concupiscentias eius, faciet te in gaudium inimi- *Gen. 8.*
 cis tuis. Sensus item & cogitatio humani cordis in ma-
 lum prona sunt ab adolescentia sua. Ecce qui seruiunt *Iob. 4.*
 ei, non sunt stabiles: & in Angelis suis reperit prauita-
 tem. Quanto magis hi qui habitant domos luteas, qui
 terrenum habent fundamentum, consumentur velut à
 rinea! Caro etiam concupiscit aduersus spiritum, & *Gal. 5.*
 spiritus aduersus carnem: hæc enim sibi inuicem aduer-
 santur: vt non, quacumque vultis, illa faciatis. Qu'd *Ephes. 2.*
 mirum, cum Apostolus dicat iræ filios nos fuisse?
 Natura ergo corrupta, non modo non iuuat
 sed etiam obsistit, repugnat, ardua virtutis fugit
 consilia, & abhorret: obiecta denique habet:
 sequiturque contraria. Non ergo natura ho-
 minem perficit, sed PERFECTI O N I S stu-
 dium naturam incuruam releuat, corrigit, ac re-
 stituit. Quare non à nobis tamquam aucto-
 ribus Perfectio speranda atque petenda est, sed
 ab eo qui hominem rectum creauit, quique
 ei recreare potest cor nouum, & spiritum rectū *Psal. 50.*
 in eius visceribus renouare.

4. Quod si demus hominem aliquem natu- *Sine gratia*
 ræ beneficio vtrumque perfectum, & præcla- *hominem*
 ris ornamentis muneribusque è naturæ fonte *stare aus*
 depromptis illustratum ac firmatum; nihilomi- *perfici non*
 nus id certa fide statuendum est, illum iisdem *posse.*
 præfidiis nec diutius stare, nec perfici vllō mo-
 do posse, ea Perfectione quam requirit eius fi-
 nis vltimus (qui est Deus bonorum remunera-
 tor. Quod enim ex nihilo est, sine Dei speciali
 C 2 auxi-

Perfectio
Philosopho-
rum qua-
lis.

Lactant. li.
5. diuin. in-
stit. c. 15.
Theod. li. 3.
Grac. af-
fect. Aug.
li. 8. civ. c.
12.
Laert. in
vita Plat.
Cic. li. 5. e-
pistola.

auxilio redit in nihilum: & corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem. Multi nominantur sapientes apud Ethnicos, qualis Socrates, Plato, Diogenes: Cato Maior, Marcus Tullius, qui multa præclare egerunt, dixerunt, scripserunt: perfectos tamen eos quis dicit, cum constet nullum finem supernaturalē vel agnouisse, vel intendisse: summum bonum statuisse studium voluntatis suæ, ac gloriam humanā, quā rebus omnibus prætulerunt: vitam quoque vitis multis contaminasse? quæ quantumque occultare nisi sint; fieri tamen non potuit, quin se proderent, vel factis, (vt ex multis constat auctoribus) vel etiam scriptis, quæ mira vanitate asperferunt. Artexā vnicum exemplum M. Tullij, qui insatiabili gloriæ cupiditate flagrans. L. Luceio ita scribebat: *Coram me tecum hæc eadem agere sæpe conātem deterruit pudor quidam pane rusticus: quæ nunc expromam absens audacius: epistola enim non erubescit. Ardeo cupiditate incredibili. neque (vt ego arbitror) reprehendenda, nomen vt nostrū scriptis illustretur & celebretur tuis. Non enim me solū commemoratio posteritatis ad spem quandā immortalitatis rapit, &c. Et paulo inferius: Neq; tamen ignoro quam impudenter faciam, qui vt me ornes postulē. Quid si illa tibi nō rāto opere ornāda videntur? Sed tamē qui semel verecundiæ fines transierit, eum bene & nauiter oportet esse impudentem. Itaq; te plane etiam rogo, vt ornes ea vehementius quam fortasse sentis. & in eo leges historiae negligas: amorique nostro plusculum etiam, quam concedit veritas, largiari. Quod si à*

si à te non impetro, cogar fortasse facere quod nonnulli
 saepe reprehendunt: scribam ipse de me: Hæc ille. Sa-
 pientibus hisce vt vera sapientia, ita vera P E R-
 F E C T I O defuit. Cui argumento est, quod hu-
 militatis, quæ virtutum omnium fundamen-
 tum est, non tantum nomen, sed & rem plane
 ignorarunt. Ideo cum cognouissent Deum, (ait Pau- *Rom. 1.*
 lus) non sicut Deum glorificauerunt, neque gratias
 egerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis. & ob-
 scuratum est insipiens cor eorū: dicentes. n. se esse sapiē-
 tes. stultifacti sunt. Labilis quoq; & infirma natura *Ibidem.*
 est, si gratiæ præsidio non fulciatur. Hinc in gra-
 uissima erimina prolapsi sunt, & tradidit illos
 Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam; vt
 contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis. Igno-
 ta quidem ea forte fuere, dum viuerent: attamen
 manifesta erunt in die iudicij, quo omnes
 sapientes cum stulta sua sapientia prolixius con-
 fundantur. Ex quo colligo, non modo perfectos
 esse non posse, qui naturam præsidij humanis
 excolere nituntur; sed etiam à bonitate natu-
 ræ immaniter prolabi, ni cœlitus iuuentur, ac
 gratia diuina stabiliantur.

5. Id etiam locum habet in ijs qui fidem sus- *Perfectio*
 ceperunt. eos nimirū falli, si per opera in speciē *politicorū.*
 bona mores aulicos, factaque præclara, huma-
 no tantum ac temporali fine sibi proposito, ad
 P E R F E C T I O N I S cūmen posse se peruenire
 arbitrentur. Multi enim à puero instruuntur,
 non minus studiole, quam curiose, vrbaniatē
 præferre in conuersatione, decentiam in in-
 cessu, corporisque compositione, honestatem

in moribus: & bene quidem, si cetera non defint. Cauent supra modum ne superbi videantur: de se demisse loquuntur: primas cedunt aliis nolunt haberi tenaces: plura quam habeant, aut facturi sint, pollicentur; à motibus iracundiæ coram hominibus cauent diligentissime: quidquid deniq; virtus præscribit interius, exterius æmulari, simulare (inquam) satagunt: & fere vbiq; sanctitatis simulacrum conferunt, moresque compositos, præterquam in Templis coram tremendis Mysteriis, vbi rusticos barbarosque mores produunt: & ædibus suis testi sine arbitris, vbi cum domesticis efferate bacchantur. Hi tamen accurati perfectique putantur

Matth. 23. sed ea PERFECTIO non est. Vocat enim huiusmodi Christus sepulcra dealbata, quæ parent hominibus pulchra, intus vero plena sunt ossibus mortuorum. Et quamuis vitia nulla essent, quia tamen naturæ limites non transgrediuntur ea, Christiana PERFECTIO non est. *Qui non intrat per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliunde: ille fur est, & latro:* Christus est ostium ouium: actiones ergo quibus perficimur à fide & virtutibus Christi merito infusis proficisci debent. Hinc D. Augustinus: *Fuerunt quidam philosophi de virtutibus & vitis subtilia multa tractantes, diuidentes, definiētes, ratiocinantes accuratissime concludentes, libros implentes, suam sapientiam buccis concrepantibus ventilantes: qui etiam dicere audent hominibus. Nos sequimini sectam nostram tenete, si vultis bene viuere. sed non intrabant per ostium: perdere volebant, mactare, & occidere.* Hæc Augustinus. Talis

Ioan. 10.

*Tract. 45.
in Ioan.*

his p̄ne doctrina est aulicorum, quorum finis in honore quærendo ac conseruando versatur. Ideo statuunt, illum rebus omnibus, etiam salutis propriæ. De: honori & amicitia, præferendū fatiusq; esse duello sese æternæ dānæ ionis periculo exponere, q̄ p̄fectionis aulicę leges violare.

Vnde vera Perfectio.

6. Itaque Deo PERFECTIO nostra tribuenda est: qui exemplat nobis filium suum proposuit, in quo quid agendum, quid fugiendum sit, intuemur: quem si ducem sequamur, nullo modo aberrabimus. Illius quoque meritis vitam quandam diuinam atque auxilia opportuna: naturam ipsam exuperantia, nobis largitus est. Sic enim Christus loquitur: *Ego sum vitis, vos palmites Io an. 15.*

qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potestis facere.

PERFECTIO ergo nostra à Deo oriri ac procedere debet, sicut & perfectio membrorum à capite, & corporis à spiritu, qui illud informat. Si ergo manemus in Christo vt in capite, & ipse in nobis vt spiritus animam nostram quodammodo informans: feremus fructum copiosum: alioquin nihil amplius, quam palmitem à vite aut membrum à corpore auulsum, aut corpus

Tract. 81. in Ioan.

anima destitutum ferre videmus, Hinc D. Augustinus: *Ne quisquam putaret saltem paruum aliquem fructum posse à semetipso palmitem ferre, cum hæc dixisset. Hic fert fructum multum: non ait, Quia sine me parum potestis facere: sed, nihil potestis facere. Siue ergo parum, siue multum: sine illo fieri non potest. siue quo nihil fieri potest.*

Quæ perfectionem præcedant: ac supponantur.

7. Cuius ratio est: PERFECTIO multa requirit, & ea

& ea quidem omnia pendent à gratia supernaturali. Ostendimus enim naturam ex se insufficientem esse ad delendum peccatum, passiones domandas, virtutes in excellenti gradu comparandas. Et quidem in primis requiritur ut homo iustus sit: iustitiam vero multa debent præcedere: numquam enim de peccatis deserendis cogitabis efficaciter, nisi tibi Deus cogitationem illam suffecerit: quod D. Augustinus probat testimonio D. Paul: *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, tamquam ex nobis: sed omnis sufficientia nostra ex Deo est:*

8. Præter lumen vero quo cogitationes animis nostris excitantur, eleuari ac roborari debet etiam voluntas, impedimenta que cum à passionibus, tum ab hoste generis humani, tum ab obiectis sensuum carnisque illecebris exorta remoueri. Nec illico peccator Deo impellenti victas manus porrigit. Idcirco clamat Propheta. *Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra, sicut in exacerbatione.* Et queritur Dominus: *Quadraginta annis proximus fui generationi huic, & dixi. Semper hi errant corde. Ipsi vero non cognouerunt vias meas: quibus iuravi in ira mea, si introibunt in requiem meam.* Et hi quidem non tantum cito Deum non admiserunt, sed numquam: quia Deus neminem cogit. Favoris est quod vocet: malitiæ nostræ, quod vocanti non obtemperemus. *Ad illam cœnam (inquit D. Augustinus) quam Dominus dicit in Euangelio paratã, nec omnes qui vocati sunt, venire voluerunt: neq, illi q, venerunt, venire possent, nisi vocarentur. Itaque nec illi debent*

1. *Lumen in intellectu.*

Li. de grat. & li arbit. c. 6 & 7. 2. Cor. 3. 2. Voluntatis excitationes.

Psal 94. Voluntas subinde gratia excitati repugnat.

Li. 83. Qu. 9. 68.

debent sibi tribuere, qui venerunt, quia vocati venerunt: nec illi qui noluerunt venire, debent alteri tribuere, sed tantum sibi, quoniã, vt venirent vocati, erat in eorũ libera voluntate. Propterea & si quisquam sibi tribuit quod vocatus venit, non potest sibi tribuere quod vocatus est: qui autem vocatus non venit, sicut non habuit meritum premiũ vt vocaretur, sic inchoat meritũ supplicii cum vocatus venire neglexerit. Hęc ille. Quidã ergo omnino non venerunt, quidam tardius, quidam celerius: omnes tamen qui acquieuerunt, diuina gratia acquieuerunt.

9. Illud quoque inter beneficia singularia referendum, quod Deus subinde cõgruenter vocat. Constat enim ex præcedenti D. Augustini testimonio, distingui gratiam in sufficientem & efficacem. Ideo enim puniendos ait Augustinus, quod gratia vocationis sufficienter dispositi erant vt venirent, venire tamen neglexerunt. Illi ergo sufficientem gratiam acceperant: & qui venerunt, efficacem. Illam quoque priorem habuerunt patres annis quadraginta in deserto. Illã eorum filij in terra promissionis, quib. Dominus dixit: *Quid vltra debui facere vinea mea, & nõ feci? an quod expectavi vt faceret vvas, fecit autem labruscas?* Et ciuitati Ierusalem: *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti!* Et S. Stephanus iisdem: *Dura ceruice & incircumcisis cordibus vos semper Spiritui sancto resistitis: sicut patres vestri, ita & vos.* Reprehendit eos quod officio defuerint, nec tamen illud præstare sine gratia poterant: habebant ergo sufficientem, alioquin

Gratia duplex.

Alia sufficiens.

Isaia. 5.

*Matth. 23.
Act. 7.*

Apo. 3.

pte reprehenderet. Et quidem Deus se non de
fuisse alleuerat: illos vero, vti & patres, Spiri-
tui sancto semper restitisse. Denique Ego sto ad
ostium, ait, & pulso: si quis aperuerit mihi ianuam, in-
trabo ad eum. Cur pulsas, Dñe? vis intrare, an nō?
si non, cur pulsas? si vis, cur mihi non das gratiā?
nam sine gratia tua tibi aperire nō possum. Aut
gratiam ergo tuam largiris, aut rides me, stulte-
que pulsas; quia pulsando nec intrare vis, nec
me tibi aperire. Liberum quidē mihi relinquis
aperire vel non aperire, cum dicis, *Si quis mihi a-*
peruerit: tamen si nolis intrare, nec gratiam da-
re, mihi videris illudere, & mandas quod factu
mihi est impossibile. Hæc gratia sufficiens datur

Matth. 28.

Marc. 16.

omnibus. Iussit enim Dominus omni creaturæ
Euangelium prædicari: quod si in nobis effica-
citer non operatur, id vitio nostro fit, vt de vo-
catis ad cœnam iā diximus, vtq; idē August. te-
statur: *Noluit Esau, & nō cucurrit: sed & si voluisset,*
& cucurrisset, Dei adiutorio peruenisset: qui ei etiā vel-
le & currere vocando præstaret, nisi, vocatione con-
tempta, reprobus fieret. Hæc ille. Qui enim à Deo
mouetur, si faciat quod in se est, si oret, si motio-
nem persequatur, efficaciter à Deo mouebi-
tur. ait enim Dominus: *Petite, & dabitur vobis,*
querite, & inuenietis: pulsate, & aperietur vobis. Et
Propheta Regius: *Voluntatem timentium se fa-*
ciet, & deprecationem eorum exaudiet, & saluos fa-
ciet eos.

Matth. 7.

Psal. 144.

3. Gratia
efficax.

10. Quos tamen Deus peculiari fauore pro-
sequitur, mouet congruenter, mouet efficaci-
ter, sicque vt effectus sequatur. Quis autem re-
pre-

prehendat Dominum, & dicat, Cur ita facis? Dominus est, nulli obligatur, omnes autem ipsi. *An oculus tuus nequã est, quia ipse bonus, est?* *Matth. 20. Rom. 8.*

Mouet ergo, quos vult, efficaciter. Ita Apostolus loquitur: *Nam quos præsciuit, hos & prædestinauit: quos autem prædestinauit, hos & vocauit: & quos vocauit, hos & iustificauit.* *Li. de prædest. sanct. ca. 9.* Vbique hic affectus sequitur: nam hæc gratia, ait D. Augustinus, à nullo duro corde respuitur: ideo quippe tribuitur, vt cordis duritia primitus auferatur. Nouit enim Deus, nostræ libertatis auctor, quique illi adest intime, quo illa propendeat, quid fugiat. quæ rationes illam moueant quæ alienent: quibus abduci, quibus adduci possit. Hinc illi facile est, huc illucue illam flectere vel abducere. Igitur D. Augustinus: *Non volentis, (inquit) aut currentis, sed miserentis est Dei: qui hoc modo vocauit, quomodo aptum erat eis, qui secuti sunt vocationem.* *Li. 1. ad Simpl. q. 2.* Et infra: *Cuius miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, vt vocantem non respuat.* *Libertas saluatur cum gratia efficaci.*

II. Præparat ergo Dominus rebellem voluntatem sufficienter vt sequatur si velit: subinde etiam efficaciter vt velit, sine detrimento tamé libertatis. Et si enim in Dei potestate sit, sic præuenire libertatem, vt voluntatem propellat ac prædeterminet præter consuetum agendi modum liberæ naturæ conuenientem: non solet tamen sapientissimus Deus naturarum condiciones sine grauissima necessitate aut ratione mutare. Hinc D. Augustinus: *Aliter (ait) Deus præstat vt velimus, aliter præstat quod voluerimus. Vt velimus enim, & suum esse voluit, & nostrum, suum vocando,* *Li. 1. ad Simpl. q. 2.*

nostrum sequendo. Quod autem voluerimus, solus prestat: id est, posse bene agere, & semper beate vivere. Hęcille. Et hęc videmus, ipsam velle nostrum fieri à Deo; non per Physicam actionem determinantem voluntatem, sed per vocationem, quę est mortalis inclinatio & impulsio, cui libere consentimus vel dissentimus.

12 Quę cum ita sint, non est quod Deum culpemus acceptionis personarum, quod subinde aliis gratiam congruam tribuat, aliis non: cum nulli quidquam debeat, omnibusque sufficientem gratiam immittat. Quod si quis se trahi non sentiat (Authore Augustino) is vtique oret vt trahatur. Facienti enim quod in se est, Deus nemini denegat gratiam. Miranda hęc quidem sunt Dei iudicia: idcirco exclamat Apostolus: *O altitudo diuitiarum sapientię & scientię Dei! quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles vię eius! Quis enim cognouit sensum Domini?*

*Tracta. 26.
in Ioan.
Cõcil Trid
sess. 6. c. 11.
& 13.
Rom. 11.*

Lib. de spir. aut quis cõsiliarius eius fuit? Vnde D. Augu. lam(a t) & lit. c. 34. si ad illam profunditatem scrutãdam quisquam nos coarctet: cur illi ita suadeatur, vt persuadeatur illi autẽ nõ ita duo sola occurrũt interim quę respondere mihi placeat: O altitudo diuitiarum! & Numquid iniquitas apud Deum? Et hactenus quidem, quę diximus, vni Deo accepta referre debemus.

*4. Gratia
cooperans.*

13. Vt autem opus in actum exeat, Dei cooperatione ac concursu opus est ad actus singulos: non modo illo naturali, de quo ante diximus: sed postquam Deus per gratiam suam hominis facultates ac potentias excitauit atque erexit ad agendum, coire debet ipse, ac cooperari,

rari, tamquam causa prima in genere actuum supernaturalium: nec magis sine ea homo potest cooperari supernaturaliter, quam sine concursu naturali naturaliter, Hinc Diuus. Augustinus *Lib. de grat. & lib. arb. c. 17.*
Ut velimus (inquit) sine nobis operatur: cum autem volumus, & sic volumus ut faciamus, nobiscum cooperatur.

14. Et quamuis in actu nos ipsi cum Deo concurramus: tamen Scriptura sic Deo opera nostra attribuit, ut nihil ipsi agere videamur. *sicut diuisiones aquarum, (inquit Sapiens) ita cor Regis in manu Domini quocumque voluerit, inclinabit illud: Et*

Et Ezechiel. Auferam cor lapideum de carne vestra & dabo vobis cor carneum & faciam ut in preceptis meis ambuletis. Et Apostolus: Deus est enim qui operatur in nobis & velle & perficere. Non volentis, neque currētis, sed miserentis est Dei. Deus qui operatur conuenia in omnibus. Conuerte nos Deus salutaris noster. *Prou. 21. Ezech. 36. Philip. 2. Rom. 9. I Cor. 12. Psal. 84.*

Nec mirum quod Deo scriptura omnia tribuat nam & nobis subinde videtur totum tribuere ut cum ait: *Cum metu & tremore vestram salutem operamini. Operamini non cibum qui perit. Facite vobis cor nouum & spiritum nouum. Conuertimini ad me & ego conuertar ad vos. Scriptura, inquam, saepe totum Deo attribuit, quia nos causa lumus minus*

principalis, quæ maxime infirma est, & plurimis indiget: sine ea tamen Deus non agit: & qui fecit te sine te, non te iustificat sine te. Deus vero ad opus peragendum longe de suo plura, quam nos, confert: nam potentiam ipsam formauit, verbi gratia voluntatem: vim agendi naturalem eidem indidit, concursum præbet, & quidem independentem ac libere, ut, si nolit

coire,

nus actus.

coire, causa secunda casto conatu maneat inanis: præuenit deinde si actus sit supernaturalis, ac disponit idoneis ac efficacibus suasionibus: tandem impedimentis omnibus sublatis concurrat, & perficit opus. Quid horum comparatione homo confert ad eliciendum actum? unde mirum non est, si Propheta dicat, *Omnia o-*

*Isaia. 26.**Matth. 11.*

pera nostra operatus es nobis Domine: & Christus, iugum suum esse suauē, & onus suum leue. Vt enim in iugo equorum altior & fortior plus oneris sustinet, fortiusque trahit: alter vero plurimum leuatur, alteriusque auxilio recreatur: ita & in operibus quantumlibet arduis incredibiliter iuuamur & recreamur, dum *Spiritus Christi*

*Rom. 8.**Psal. 17.*

adiuuat infirmitatem nostram, altior fortiorque sustinet totum pondus. Hinc Propheta Regius: *In Deo meo (inquit) transgrediar murum.* Æque profecto difficile est homini atque gratia opus bonum facere, atque sine aliis murum altissimum transuolare aut transilire. *Omnia*

Philip. 4.

tamen possum (ait Apostolus) *in eo qui me confortat.* At misericordias Domini mira operantes in vno peccatore conuerso contemplemur.

*Ex annuis**Prouincia**Goana anni**1609.*

Benedictus de Goez, natus in Insula S. Michaelis vicina Lusitanæ, in Indiã militaturus soluit: vbi post aliquot annorum stipendia, mutato consilio, Societatem nostram expetiit, in quam tamquam Coadiutor temporalis admittus est. Mutationis, porro occasionem præbuit huiusmodi prodigiosum euentum. Anno 1583 Lusitana classis circa oram Trauancoranam versabatur. Sesquimilliarum ab opido Colecht

Tem-

Templum erat cuiusdam pagi, in quod cum
 Goezius ludis & grauioribus vitæ militariis vi-
 tiis perditæ addiçtus & pæne desperabundus in-
 gressus esset cum commilitone, tabulæ altaris
 conspectu (illa depictam B. Virginis filium ge-
 stantis effigiem continebat) stimulis actus con-
 scientiæ, procidit in genua, fusoque copioso la-
 crymarum imbree, obnixè petiit à Deipara Vir-
 gine, vt à filio peccatorum veniam ac remissio-
 nem impetraret. Res mira, Ecce infantulus Ie-
 sus, in brachiis matris efformatus, vrbertim la-
 crymas lactei coloris effudit, tam copiosas, vt
 vndique in suppositum altare diffluerent: scili-
 cet vt pœnitens disceret, quam pie pater mise-
 cordiarum, matris accedētibus precibus, quo-
 dammodo compatiēbatur: Rei nouitate atto-
 nitus vterque aliquot commilitones in Tem-
 plum aduocat: ostentum explorant: compe-
 riunt eum liquorem ex oculis picti pueruli e-
 manere: dubitationē eximebat summa per eos
 dies siccitas, & æstas in his locis præferuida. In-
 tingunt strophium eo liquore, in pignus ve-
 ritatis. Concurrere mox quamplurimi, & rem
 obseruatam festa bombardarum maiorum &
 minorum explosione classarii omnes celebra-
 runt, ramisque Templum satis alioquin despi-
 cabile inumbrarūt. Id contigit anno 1583; & hoc
 anno 1609, facta diligētī inquisitione à Patrib.
 nostris, veritas cōprobata est, cuius etiā vestigia
 imago ipsa retinet. Hac ergo visione cōpuncto
 Goezius, de tota vita apud Patrē Societatis cō-
 fessionē instituit: Religionis ingressū vouit & in
 no-

nostram anno insequenti, hoc est: 1584. admiffus est. Vere miserationes Domini super omnia opera eius, qui vel minimum quærentes se & inuitat, & trahit, & recipit.

5. *Habitus gratia supernaturalis.*

Cōcil. Trid.

sess. 6. c. 16.

Ioan. 7.

Ioan. 4.

Ioan. 4.

Ioan. 4.

Ioan. 4.

Ioan. 4.

Ioan. 4.

Ioan. 4.

Ioan. 4.

Ioan. 4.

Ioan. 4.

Ioan. 4.

Ioan. 4.

Ioan. 4.

Ioan. 4.

Ioan. 4.

Ioan. 4.

Ioan. 4.

Ioan. 4.

Ioan. 4.

Ioan. 4.

Ioan. 4.

Ioan. 4.

Ioan. 4.

Ioan. 4.

Ioan. 4.

Ioan. 4.

Ioan. 4.

Ioan. 4.

Ioan. 4.

Ioan. 4.

Ioan. 4.

Ioan. 4.

Ioan. 4.

Ioan. 4.

Ioan. 4.

Ioan. 4.

Ioan. 4.

Ioan. 4.

Ioan. 4.

Ioan. 4.

Ioan. 4.

Ioan. 4.

Ioan. 4.

Ioan. 4.

Ioan. 4.

Ioan. 4.

Ioan. 4.

Ioan. 4.

Ioan. 4.

Ioan. 4.

Ioan. 4.

15. Ut autem iustificatus conuenienter statui suo operetur, necessarij sunt ei præterea vel fontes perpetui, vnde ad agendum vis continenter emanet: vel certè motio Dei continua: quæ necessaria non est, si fontes illi adsint, de quibus Dominus: *Si quis sitit, veniat ad me. & bibat, & de ventre eius fluent aquæ viuæ. Qui autem biberit ex aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Nihilominus visitat subinde amicos suos ad proficiendum clementissimus Dominus, & nouo calore incendit, incitat, promouet, solatur, lacrymas ciet. *Quoniam sicut in eius obsequio abundant passionēs Christi in nobis, ita & per Christum abundat consolatio nostra: & sicut socij passionum sumus ita & consolationis.* Omnia autē ista cœlestus veniunt, nec est qui gloriari possit, ni velit in Domino. Gratia enim gratia est, non meritum, aut naturæ debitum.

6. *Perseuerantia non cadit sub meritum.*

16. Ad hæc perseuerantia opus est, ne in pristina relabaris. Nihil enim PERFLECTIONIS ita cursum impedit, vt relapsus in vitia: sicut iterata vulnera & maxime letalia sanitatem labefactant, mortemque conciliant. At perseuerantia sine gratiæ auxilio non habetur, eamque ex iustitia nemo mereri potest: Deus enim id nemini promisit certum aliquot opus facienti. Nec etiam pluribus operibus ea in præmiū respondet, sed singulis singula redduntur præmia

Vnde

Vnde plurimi viri, iique sanctissimi, à perseuerantia exciderunt: vt Saul, etsi eo fuerit nemo, ^{1. Reg. 10.}
 dum in Regem delectus est, melior: vt Salomō, ^{2. Reg. 14.}
 qui amicus Dei appellatus est: vt Nicolaus, de ^{Act. 6.}
 quo in Actis Apostolorum, qui inter primos &
 feruentiores discipulos Diaconus fuerat con-
 stitutus: Origenes quoque, olim virtutis exem-
 plar, quique summo martyrij desiderio flagra-
 uerat: Tertullianus, & multi alij, qui (vt ait S. ^{Apoc. 12.}
 Ioannes) fixi velut astra in cœlis videbantur, de-
 cussi sunt ac præcipites dati ab impetu ferientis
 caudæ draconis. Donum enim perseuerantiæ
 non est res aliqua vna, sed tota series auxiliorum
 quæ à Deo homini conferuntur, vsque in fi-
 nem: idque variis temporibus, locis, occasio-
 nibus: quæ sane collectio congesta, sub meri-
 tum condigni (vt vocant) cadere non potest. ^{1. Pet. 1.}
 Hinc D. Petrus nos hortatur cum timore & tre- ^{Psal. 18.}
 more salutem nostram operari. Nam *delicta quis* ^{Prou. 20.}
intelligit? & quis potest dicere, Mundum est cor
meum?

17. Ex his colligitur, neminem perfici posse
 sine singulari Dei auxilio & gratia. Si vero gra-
 tia, Deus igitur minime obligatur. Cumque vi-
 res defint naturæ corruptæ, sequitur *non minus*
impossibile esse, hominem perfici natura viribus, quam
saxum germinare, arborem ambulare, leonem loqui
articulate, hominem volare, atque in ære medio con-
sistere: nosque ingenuè fateri summa cum reue-
rentia, timore, ac tremore oportere, Deum esse
 PERFECTIONIS auctorem: qui nisi hominibus et-
 iam iustis adsit, eximioque fauore ac protectio-

D ne

ne peccandi occasiones amoliat, libidinis impetus frangat, demonis artes detegat, illecebras sæculi comprimant, passionum atque affectionum vim coerceat, tentationum molestias propulset, illustrationes diuinitus immittat, animum ardentibus desideriis incendat, labilem voluntatem firmet, occasiones exercendæ augendæque virtutis præbeat, certum exploratumque est, nos in PERFECTIIONIS studio exiguos progressus, aut etiam nullos, esse facturos.

CAP. V.

Opportunitates PERFECTIIONIS adipiscendæ à Deo hominibus plurimas offerri.

*Deus auctor est nostrorum operum.
Isaia 26.
1. Cor. 12.*

*Tit. 2.
Deus vult omnes esse perfectos.*

DEo ergo concedendum est, (atque ideo ipsi plurimum obstricti sumus) quod operetur opera nostra, quod omnia operetur in omnibus: hoc est, quod potissima sit pars ac causa operationis PERFECTIIONISQUE nostræ. Attamen fidelium omnium collectio non haberet unde tantopere hanc gratiam extolleret, si pauculis Deus eam esse communicatam vellet, nullumque propensæ voluntatis suæ erga PERFECTIIONEM nostram argumentum edidisset. Verum apparuit gratia Dei saluatoris nostri omnibus hominibus: & se idipsum optare infinitis argumentis testari non desinit: quod ad excitandos ad